

possessorem transit, 2) ne quidem interitu rei exspirat, sed flammis, aut alio casu deleta, remanet, et restaurata rursus idem exercet sine renouatione. 3) Possessor caupo fit per possessionem rei hoc iure gaudentis, res e contrario non caupona fit, si hic vel ille possideat. Si hoc esset, ius hospitii exspiraret cum persona, sed nunquam exspirare certo certius est. Alterum ius cereuisiae atque vini venditionis plerumque adnexum est, et propemodum inseparabile, adeo ut quaedam diuersiorum et cauponarum ita sunt priuilegiatae, ut coactionis iure fruantur. a) Vacationem ab oneribus priuilegium reale esse, ex eo facile perspici potest, quia vniuersitas per se non gaudet immunitate, sed a principe intuitu rei impetrauit. De pace Burgenfi inquirere superfluum foret, cum sine locis intelligi nequit, et qualitatem eorum potissimum respicit. Quae cum ita sint, nemo dubitabit, priuilegia haec omnia esse realia. Hoc concessio, diuidi vel separari nequeunt, nec senatores hoc ius huic, illud alteri separatim concedere valent. Sed omnia sine disiunctione et separatione soli curiarum conductor locare debent, nec a curiis auferri possunt.

§. XI.

Res possideri potest ab vno vel a pluribus; hinc omnia, quae possident aut socii aut collegia, aut demum vniuersitates, bona, et quidem communia, appellanda sunt. Curiae nostrae ita comparatae sunt, ut non solum in possessione sint, sed etiam reditus praebent, et statum eorum, in quorum dominio sunt, meliorem reddant. Merito ergo ad bona communia referendae sunt, ita tamen, ut in commercio esse credantur, dum nullibi illi exemptae sunt.

§. XII.

a) BEYER. *delin. iur. Germ. L. I. c. 17.*